


DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOREA SANCTI VITI.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CHOREA SANCTI VITI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS DALGAIKNS,

SCOTO-BRITANNUS,

CHIRURGUS,

SOCIET. REG. MED. ED. SOC.

Die primo Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.

MDCCCXV.

VIRO CLARISSIMO,

JACOBO RUSSELL,

ARMIGERO,

SOCIETATIS REGIÆ EDINENSIS SOCIO,

MEDICINÆ CHIRURGICÆ CLINICÆ

IN

ACADEMIA JACOBI SEXTI

PROFESSORI,

ꝯ. ꝯ. ꝯ.

HANC DISSERTATIONEM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

DICAT

QUONDAM DISCIPULUS.

AMICO SUO,

ROBERTO PROCTOR,

ARMIGERO,

SIGNETI REGII CLERICO,

OB

BENEFICIA MULTA IN EUM COLLATA ;

HOC TESTIMONIUM, UTCUNQUE EXIGUUM,

ANIMI GRATI,

OFFERT

AUCTOR.

AVUNCULO SUO VENERABILI,
CAROLO GREENHILL,
ARMIGERO,
DE
OLD-MONTROSE:

MARITO SORORIS DILECTO,
DAVIDI MILLAR,
ARMIGERO,
DE
BALLUMBIE:

FRATRI SUO CARISSIMO,
ANDREÆ DALG AIRNS,
ARMIGERO,
DE
INGLISTON:

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,
UTPOTE
PIETATIS, ADMIRATIONIS, ET AMORIS,
PIGNUS PEREXIGUUM,

D. D. C.QUE

GULIELMUS DALG AIRNS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOREA SANCTI VITI.

MORBUS, de quo agitur, nomine *Choreæ Sancti Viti*, vulgò cognitus est. Vox *χορεία* a *χορός*, derivatur, qui apud veteres saltationem comitari solebat. Vocatur *Chorea* quòd gesticulationes ægri, hoc morbo laborantis, quodammodò saltationi similes sunt; *Chorea Sancti Viti*, quia sic a HORSTIO traditur: “ In
 “ Circulo Sueviæ juxta Ulmam, est tem-
 “ plum Sancto Vito dicatum; eò multæ con-
 A “ currunt

“ currunt mulieres circa festum hujus Sancti
 “ quolibet anno mense Maio, ibique saltu cum
 “ perturbatione mentis nocte dieque exercent,
 “ donec exstaticorum instar corruant, quâ ra-
 “ tione sibi restitutæ sanitati videntur, et nihil
 “ per annum sentiunt; secus membrarum in-
 “ quietudine, tensivis artuum doloribus, unâ
 “ cum lassitudine spontanea, et capitis gravi-
 “ tate torquentur, donec anno sequenti organum
 “ musicum quod in earum gratiam hoc festo
 “ pulsatur, audiant.” Morbus a HORSTIO suprâ
 memoratus, quibusdam fabulosus putatus est;
 phænomena enim valdè discrepant ab iis quæ
 ferè Choream comitantur: ambo tamen affec-
 tus fortassè sint nihil aliud quàm species diver-
 sæ, aut varietates ejusdem generis morbi *.

SYDENHAMUS primus fuit, qui de Choreâ ac-
 curatiùs scripsit. Apud priscos autem nota est,
 et in scriptis GALENI sub nomine *Scelotyrbe* le-
 viter

* Vid. Medico-Chirurgical Transactions, vol. v.
 p. 1.

viter memorata. Post ejus tempus, hic morbus, per ignorantiam barbariemque sæculorum mediorum, multâ superstitione considerabatur: illorum autem temporum scripta parum auxilii conferunt. Post SYDENHAMUM quamplurima cognita sunt; de quibus ab illo medico, alioquin celeberrimo, siletur.

MEAD, CHEYNE, SAUVAGES, STOLL, DE HAEN, BISSET, MONRO et HAMILTON, præcipuè digni sunt, qui de hoc morbo consulantur:

DE DEFINITIONE.

NOBIS adhuc desideratur definitio hujus morbi accurata. Quod a SAGARO definitur (qui obiter a SAUVAGESIO liberrimè mutuatus est) omnium fortassè fide nostrâ dignissimum: “ Est
“ motus semivoluntarius unius lateris, vel totius
“ corporis, in gressu, situ erecto, aut comestione;
“ gesticulationem;

“ gesticulationem, aut ridiculam histrionis festinationem, referens *.”

CULLENO in classi *Neurosium* et ordine *Spasmorum* hic morbus recensetur; a quo ita definitur: “ Impuberes utriusque sexûs, ut plurimum intra decimum et decimum quartum ætatis annum adoriens, motus convulsivi ex parte voluntarii, plerumque alterutrius lateris, in brachiorum et manuum motu, histrionicum gesticulationes referentes; in gressu, pedem alteram sæpiùs trahentes quàm attolentes.”

Hoc est compendium historiæ morbi accuratissimum: magis descriptio autem quàm definitio: certèque sunt formæ morbi cum quibus nequaquam congruere possit. Sed consideratio minuta ex singulis earum definitionum partibus, iis, qui alia meliora in earum locum substituant, relinquenda est.

* SAGAR, gen. 243.

DE SYMPTOMATUM HISTORIA.

QUAMVIS benè cognitum est Choream, ut interdum post convulsionem*, vel terrorem †, subito invadere; ferè tamen tardiùs aggredi; et paulò antequam aliquid morbo peculiare apparuisse ægrum variis affectibus laboravisse, doloribus nempè partium corporis diversarum, torpore, debilitate, et frigore extremitatum, simul cum vertigine, tinnitu aurium, cæterisque; et consuetum laborem derelinquere, alacritatem hilaritatemque amittere, coactum esse. Varius est appetitus, sæpè vorax; viscera plerumque constipata, evacuationes parcæ, et colore atque spissitate insolitis.

Post

* HEBERDEN, cap. 20.

† STARRK'S Works, p. 83.

Post durationem signorum per aliquod tempus, motus convulsivi nunc demum sese ostendunt. Motus non voluntarii, breves et varii, musculorum vultus, primùm sunt percipiendi.

Ægro quiescenti pes vicibus alternis extrorsum et introrsum invitè vertitur: ambulanti gressus vacillat: altera extremitatum ac si paralytica pertrahitur; aut sublata, inordinata fit et ludicrè agitata. Morbo ingravescente, ejusdem lateris brachium etiam violentiùs quàm crus affectum est: æger in eodem statu per spatium temporis vel brevissimum retinere non potest: et vix, aut ne vix quidem, solitis muneribus vel necessariis, fungi valet. Hic loci autem descriptione SYDENHAMI accuratâ uti mihi liceat:

“ Postea in manu ejusdem lateris cernitur quam
 “ hoc morbo affectus, vel pectori vel alii alicui
 “ parti adplicitam, nullo pacto potest continere
 “ in eodem situ vel horæ momento, sed in
 “ alium situm, aliumque locum, convulsione
 “ quadam distorquebatur, quicquid æger contra
 “ nitatur. Si vas aliquod potu repletum in ma-
 “ nus porrigatur, antequam illud ad os possit
 “ adducere, mille gesticulationes, circulatorum
 “ instar,

“ instar, exhibebit; cùm poculum rectâ lineâ
“ ori admovere nequeat, deducta a spasmò ma-
“ nu, huc illuc aliquandiu versat, donec tan-
“ dem fortè fortunâ illud lateris propiùs appo-
“ nens, liquorem derepentè in os injicit, atque
“ avidè haurit; tanquam misellus, et tantùm
“ ageret, ut dedita opera, spectantibus risum
“ moveret.”

In omni ferè exemplo plùs minùsve im-
pedita est loquela; et sæpè penitùs suspensa.
Deglutitio quoque identidem difficilis fit.

Motus convulsivi in Choreà alteri corporis la-
teri ferè adherent. Hoc porrò ne semper qui-
dem afficiunt; sed contrà, morbo progrediente,
aliquando sedem mutant*. Quum autem præ-
ter solitum morbus protractus est, diuturnitate
vires acquisivit, non solùm motus non volunta-
rii facti sunt violentiores, sed omnis ferè muscu-
lus ab iis plùs minùsve affectus est.

Musculi

* HEBERDEN.

Musculi vultûs, Risum Sardonicum aut Spas-
 mum Cynicum, non rarò exhibent. Maxilla
 autem inferior per aliquod tempus, ut in trismo,
 nonnunquam clauditur. Musculi cervicis et
 trunci saltibus convulsivis aliquando afficiuntur
 adeò violentis, ut æger non in lecto jacere pos-
 sit: vel in humum rejicitur, si unquam inter
 ambulandum ei improvisò superveniant.

Quæ verba sequuntur a HEBERDENO citamus:
 “ Puerò cuidam, cum crura vehementer agita-
 “ bantur, motus involuntarii superabant omnes
 “ movendi conatus leniores; membris autem
 “ fortiùs impulsis, morbus superabatur; ergo
 “ currere potuit, qui non potuit ambulare.”
 Aliquando una vel altera extremitatum, quasi
 paralytica, laborare videtur, et ægrotans summa
 ope voluntatis musculos exerere nunquam po-
 test.

Motus nisi per somnum, ferè sunt constan-
 tes; aliquando autem, modò post intermis-
 siones ordinatas, modò post inordinatas, redire
 videntur: semper tamen animi affectibus aut
 conatibus voluntariis propiùs excitatos aut auc-
 tos esse apparet.

Contrà

Contrà autem, vi externâ motus membri paulisper prohiberi possunt, sine ullo ægri incommodo; in casu verò quo brachium continebatur, æger in quietem placidè incidit, tanquam in somnum cæteris membris positum eundem retinentibus, in quo illis esse antea accidit. Cùm brachium affectum liberatum est, motus ejus rediêrunt; sensus et movendi facultas aliorum membrorum quoque recuperata sunt*.

Ex rebus jam dictis, patet motus convulsivos admodum varios esse in ægris diversis. Restat tamen adhuc breviter mentionem facere de quibusdam conspicuis Choreæ formis, quæ in phænomenis a morbo, cui ut descriptio nostra applicetur in animo erat, adeò discrepant, ut potiùs habeantur variæ et discretæ species.

In quibusdam, motus sunt exercitationis omnigenæ, quæ facilè in animo concipi queat, cursûs nempe, saltationis, volutionis, &c. In

B

aliis;

* Vide STARK'S Works, p. 83.

aliis, morbus ex repetitione cujusdam motus convulsivi generis solùm constat.

Motus quidem aliquando aut penè, aut ex toto, voluntarii esse videntur.

Illac morbi formæ periodicæ sunt ; et in iis valdè distant. Aliæ, si HORSTII fabulæ vel minimùm creditur, quotannis accidunt. Aliæ inordinatæ sunt, ut in morbo, vernaculè, “ *Leaping ague*” * dicto, qui in parte Scotiæ boreali imperium obtinet. Aliæ quidem indies vel sæpiùs fiunt, ut in aliquot exemplis a Doctore WATT descriptis †.

Durante morbo, mentis facultates plerumque afficiuntur : et facies ægri generalis, oculus hebes et quasi torpidus, vultus languidus et vacuus, fatuitatem, quæ ei supervenerit, semper indicant. Affectus sine causâ, fletùm nempè
et

* Descriptionem hujus morbi legere qui velit, audeat vol. 1. *Edin. Med. & Surg. Journ.*

† Vid. in vol. 5. *Rerum Medico-Chirurgicarum.*

et risum similiter ac in hystericis, non rarò ostendet. Gesticulationibus valdè delectari videtur; quas augere tentat, ut adstantibus admirationi sit.

Somnus in Choreâ incipienti parùm interrumpitur: in confirmatâ autem, a saltibus convulsivis non rarò turbatur. Vorax appetitus, quem subsequitur aggressus morbi, per ejus cursum aliquando durat. Credo quidem magis magisque decrescere; concoctionem debilem fieri; alvi obstipationem multùm augeri; plurimum fœculenti in intestinis accumulari, dum dejectiones parcæ et fœtidæ sunt. Abdomen plerumque tumidum est, aut durum: in quibusdam autem laxum et molle: “Fever” (ut verbis utar Doctoris HAMILTON senioris) “such as arises in Marasmus, is not a necessary attendant in Chorea; nevertheless, in the advanced periods of the disease, flaccidity and wasting of the muscular flesh take place, the consequences of constant irritation, of abating appetite, and impaired digestion, the common attendants of protracted Chorea, and which I doubt not may, in some cases, although

“ though contrary to the common opinion that
 “ Chorea is not fatal, have been the forerunners
 “ of death*.”

Hic morbus non ampliùs duobus, tribus, aut quatuor mensibus plerumque durat. Ferè cursum permanentem et certam tenere videtur: postremò autem, et sine ope medicinæ, ad exitum felicem perducitur. Sub pubertate curationem efficit: etiamque in exemplis itiusmodi, quæ ante hoc tempus omni opi medicinæ restitissent. Nonnunquam exitus, ut notavimus, ne felix quidem est. Cùm morbus sub vitæ termino evenit, aut, pubertate finitâ, adhuc durat, in Hysteriam vel Epilepsiam plerumque abiturus est. Sæpè impressionem fatuam, vestigiaque motuum, quæ per vitam hominis durant, post sese relinquit: “ Interdum ta-
 “ men (inquit HEBERDENUS) contigit ut qui
 “ ab eo convaluerant, distentiones ejusdem
 “ generis leviores, vere et autumno experti sint
 “ in annos tres aut quatuor. Perturbatio quo-
 “ que,”

* Vid. Observations on Purgative Medicines.

“ que,” addit ille, “ animi gravior, identidem
 “ revocavit obscura quædam ejus indicia per
 “ decennium ; nisi fortè ad hystericum aut pa-
 “ ralyticum affectum potiùs pertinuerint, qui-
 “ bus Chorea Sancti Viti est cognata, non so-
 “ lùm externa morbi facie, verùm etiam reme-
 “ diis.”

Doctori HAMILTON seniori, qui Choream in
 duo stadia, *incipiens* nempè et *confirmatum*,
 posse dividi putat, nos facilè assentimur. A
 tempore, quo affligi primò cœperit, donec motus
 non voluntarii ad maturitatem advenerint, sta-
 tus oritur incipiens : ab his autem usque ad finem
 morbi, originem ducit confirmatus.

Hujus morbi in scriptis medicorum exempla
 duo incisionis cadaverum solùm mihi contigit
 invenire ; in quibus Dr WILLAN ab unciis dua-
 bus ad quatuor lympham sinceram in ventri-
 culis cerebri reperit, et, sub eadem quantitate
 in pericardio *.

DE

* Vide Reports on the Diseases of London, p. 245.

DE CAUSIS.

CHOREA in vernâ quàm in ullâ aliâ tempore anni, quibusdam dictum est, multò magis pollet: sed hæc sententia fundamento minùs firmo nititur. Ætas puerilis, ab anno nempe sexto aut septimo usque ad decimum quartum aut decimum quintum, huic morbo magis favet: vix, aut ne vix quidem, ante hoc tempus evenit: post tamen pubertatis ætatem, quosdam primùm affici traditum est*. Fœminæ, ut videtur, sæpiùs quàm mares, hoc morbo afficiuntur; et cùm habitus vitæ contrarios consideremus,

* Dr GREGORY, in Prælectionibus, exempla hujusmodi memorat; vid. etiam HEBERDEN, cap. 20; et HAMILTON, p. 126.

mus, non nobis difficile est, qui hujus rei causam habeamus. Eos præcipuè, qui minùs firmi sunt, aut quorum valetudo, etiamsi naturâ firma, modo tamen vitæ sedentario, aut alimenti usu tenuis, diminuta est, plerumque aggreditur.

Hujus morbi causæ excitantes sæpenumerò ad irritationes referri possunt; eæque vel corporis vel animi sunt. Ad classem priorem refertur ea, quæ a dentitione efficitur, et acribus aliisque substantiis, quæ irritationem excitent, quæque in canali alimentario residant: ad posteriorem referri possunt, opera, consensus, affectusque animi, qui hunc morbum nonnunquam effecisse dicuntur.

Dentitionem esse, aliquando saltem, causam morbi, satis probatum est Doctore MONRO secundo; qui arte practicâ, res ita se habere primò compertus est. Dr GREGORY autem, in prælectionibus, exemplum præbet, quod a Doctore MONRO primò observatum est: puellam, novem annos natam, et Choreâ laborantem, vidit; cujus ore inspecto, gingivas ab uno latere tumidas et inflammatas, idque a molaribus, quæ

iis

iis instabant, factum esse, reperit. In dentes incidendo, evanuit morbus: dentesque sine ullâ molestia apparuerunt: is autem brevè rediit. Tunc planè patebat, quod a molaribus lateris alterius originem duceret irritatio; gingivis etiam incisus, morbus iterum depulsus, in posterum nunquam reversus est. Hoc exemplo generalis inquietudo bene illustratur; quod suâ experientiâ Doctor GREGORY* et Doctor BLAKE † satis confirmant.

Nulla causa Chorea frequentior est quàm intestinorum irritatio: quæ fæcum accumulatione plerumque oritur. Hoc a Doctore HAMILTON, aliisque medicinam facientibus, satis confirmatum. Ad hoc caput generale, ut mihi videtur, plurimæ causæ, a scriptoribus memoratæ, referri possunt: nempè vermes ‡; mensium retentio §;

* DRIS GREGORY Prælect.

† Vid. BLAKE on the Teeth.

‡ BISSET, Med. Ess. p. 168.

retentio *; et eruptionum cutis repressio †. Verisimillimum autem est, causam earum primariam, perturbationes nimirum organorum concoctionis, quoque Choream effecisse.

Morborum generis nervosi repetitio, formam epidemicam præ se ferre benè cognita est. Ne id quidem dici possit, quomodo hi morbi propagentur, nisi per consensum, seu principium imitandi, quod in multis valetudinis secundæ phænomenis tam eminet. Chorea inter alias etiam in formâ consuetâ, imitando nonnunquam sese ostendit. Hic morbus olim in Orphano tropæo, quod est apud Milanenses, frequentius sæviebat, ubi tam gravis factus fuit, ut immedicabilis putaretur. Hujus rei causam præbere facilè possumus, quum tractationem mali sub auspiciis celeberrimi Brunoniani-Cisalpini Ex directore MOSCARI, gestam esse, nobis non ignotum. Diæta habitusque vitæ sedenta-

C

rius

* CARTHEUSEN, Fund. Pathol. tom. i. cap. xiv.

† BISSET, p. 168.

rius hujus causa fuisset prædisponens * ; per medium autem hujus principii imitandi, morbum esse propagatum verisimilius est.

Formæ tamen insolitæ hujus morbi plerumque epidemicæ fiunt: exempli gratiâ, *The Leaping Ague*, in paucis solùm regionis partibus plurimùm pollet ; dum in aliis omninò ignota est. Æstate anni 1803, apud Maryville, quæ est in America Septentrionale, Choreæ species semel apparuit, quæ repenti apud incolas longè latèque patebat. Sic (ait scriptor) solitum fuit, ægrum hoc morbo laborantem pluribus adstantibus, qui rei novitate, aliisve causis capti, circa ægrum congregaverant, morbum imperituri †.

Sequentia sunt verba CULLENI: “ There have
 “ been instances of this disease consisting of
 “ such

* Vid. MACMULLEIN, *Ed. Med. & Surg. Journ.* vol. i.

† Vid. *Dissert. Inaugur.* auctore F. ROBERTSON; et *Ed. Med. & Surg. Journ.* vol. III.

“ such convulsive motions (viz. running, leap-
 “ ing, &c.) appearing as an epidemic in a cer-
 “ tain corner of the country.” “ In certain
 “ instances,” postea quoque addit, “ persons
 “ of different ages are affected, and may seem
 “ to make an exception to the general rule laid
 “ down above ; but still the persons are for the
 “ most part the young of both sexes, and of the
 “ more manifestly moveable constitution.”

In scriptis auctorum, innumeræ sunt aliæ
 causæ Choreæ. Ex his æquè, ac suprà dictis,
 nostram attentionem maximè vindicant animi
 affectus. Hinc referantur timor * ; et horror,
 quem osculatio cadaveris efficit † ; et musica ‡,
 quæ in unico exemplo morbum excitavit. Ve-
 teribus causam hujus morbi assignantibus erat
 haud parum difficultatis. Morbus igitur ab iis
 magices effectui, dæmonumque impulsui, attri-
 butus est.

Quod

* STOLL, *Rat. Med.* tom. III. p. 403.

† CARTHEUSEN, *Fund. Pathol.* tom. I. cap. XIV.

‡ *Lond. Med. Journal*, vol. II. p. 125:

Quod ad causam proximam hujus mali, vel naturam intimam, attinet, silentio præterire liceat. Nulla physiologiæ pars minùs, quàm genus nervosum, intelligitur: pathologia enim morborum generis nervosi plurimum in occulto est. Jam causas remotas Choreæ, sive prædisponentes sive excitantes, suprà memoravimus; sed quomodo, aut cur, hæ causæ in morbum inducendo agant, ne conjecturam quidem facere audeamus.

DE DIAGNOSI.

CHOREA, ut mihi videtur, cum alio morbo vix confundi potest. Dictum est autem motus inordinatos in exemplis *Hydrocephali* quibusdam, iis Choreæ similes, identidem accidisse, perque dies singulos aut duos duravisse*: verum

* Vid. Dis. Inaug. auctore THOMSON; etiam WIL-
LAN *on the Diseases of London*, p. 269.

rùm exempli historiâ et brevi signorum duratione, hi duo morbi facilè distingui possint.

In *Raphaniâ*, morbo non benè cognito, vehemens dolor simul cum tonico membrorum spâsmo, et paroxysmi inter somnum non rarè accidunt. Sopor, qui *Epilepsiam Hysteriamque* comitatur, diagnosin inter hos morbos et Choream, de quo agitur, evidentem præbebit.

DE PROGNOSE.

Nihil accuratè describi potest, a quo hujus morbi prognosin faciamus, præsertim quum varias morbi terminationes suprâ memoravimus, vix erit necesse ut de hac parte argumenti longiùs disseramus. Ut in genere dicam, prognosin fausta sit; idoneisque remediis adhibitis, sperandum fore, ut intra paucas hebdomadas curatio ferè efficiatur. Sin autem morbus diuturnus fuerit; præsertim verò, si ultra pubertatem duraverit,

raverit, aut post eam primò acciderit ; et si potius habitu quàm aliâ causâ excitante manere videatur, sanitatem perficiendi ne magna quidem spes fuerit ; contrà, in Epilepsiam vel Hysteriam morbus abibit : aut saltem fatuitatis plurimùm, vel vestigia indomita motuum convulsivorum, post sese relinquet.

Sexus ægri quoque fortassè nos in prognosi formanda adjuvet ; Doctor HAMILTON enim putat capacitatem majorem pelvis fœmininæ faciliùs accumulationi fœcum favere ; hinc plus temporis, et purgantia fortiora, massam fœculentam expellere futura esse necessaria. Cùm igitur puellas, cautione majore in prognosi prædicenda opus est, quàm cum pueros corripuit.

DE CURATIONE.

CAUSIS hujus morbi nuper meliùs cognitis, curatio quoque simplicior et efficacior facta est.

Historiam

Historiam artium minutam, quæ diversis temporibus in Choreâ tractandâ locum obtinuerunt, tradere haud in animo est. Mihi satis sit affirmanti, quòd, nisi intra paucos annos, quamplurima remedia a diversis medicis usurpata fuerint, argumentum manifestum, quòd minimè efficacia essent. Hæc quidem ad genus stimulans, tonicum, vel antispasmodicum, pertinent: administratioque promiscua, quæ ex erroribus de morbi pathologia oriebatur, plerumque in usu fuit.

Consilia medendi constare videntur,

1mò, amovendo vel vitando irritationes, quæ morbum inducant.

2dò, amovendo debilitatem, quæ, morbi duratione, ejus facta fuerit, aut quæ proclivitatem moverit.

3tiò, interrumpendo habitum, morbo formatum, quique causa sit durationis ejus, etiam post duo consilia jam memorata, perfecta fuerint.

Ut

Ut primum consilium conficiamus, qualis irritatio morbum excitet, réperire nitendum est, quo medicus dirigatur.

Ore inspecto, an dentitio causa sit, facilè pernoscere licebit: sin autem res se habeat, gingivis liberè incisis, signa omnia tollentur.

Si morbus ab irritationibus in canali alimentario efficiatur, purgantium usus ægro soli remedio erit. Sententiam Doctoris HAMILTON senioris, quippe ingenii judiciiue plenam, hic loci citare liceat: “ I have already noticed, that
 “ Chorea consists of two stages. In the first,
 “ while the intestines yet retain their sensibili-
 “ ty, and before the accumulation of fæces is
 “ great, gentle purgatives, repeated as occasion
 “ may require, will readily effect a cure, or ra-
 “ ther prevent the full formation of the dis-
 “ ease.

“ In the confirmed stage, more sedulous at-
 “ tention is necessary. Powerful purgatives
 “ must be given in successive doses, in such
 “ a manner that the latter doses may support
 “ the effect of the former, till the movement
 “ and expulsion of the accumulated matter are
 “ effected,

“ effected, when symptoms of returning health
 “ appear. Whoever undertakes the cure of
 “ Chorea by purgative medicines, must be de-
 “ cided, and firm to his purpose. The confi-
 “ dence which he assumes, is necessary to car-
 “ ry home to the friends of the patient, convic-
 “ tion of ultimate success. Their prejudices
 “ will otherwise throw insurmountable obsta-
 “ cles in the way. Half-measures, in instances
 “ of this kind, will prove unsuccessful; and
 “ were it not for perseverance in unloading the
 “ alimentary canal, the disease would be pro-
 “ longed, and would place the patient in dan-
 “ ger, and thus bring into discredit a practice
 “ which promises certain safety.”

Quod ad purgantia, quæ sunt usurpanda, vix
 necesse est ut multa dicam. Jalapa, Aloë, Cas-
 sia Senna, etc. sales medii minùs ingrati, ut
 res postulant, adhibeantur. Verum Sub-murias
 Hydrargyri, utpotè mole parvâ, in hoc morbo
 semper erit utilis.

Purgantium usus, non modò non ægrum de-
 bilitat, verùm etiam in hoc morbo corpus ro-

D borat :

borat : primoque consilio perfecto, magna ex parte secundum conficere licebit.

More autem solito nostræ artis faciendæ, simul cum purgantibus, remediis tonicis vel stimulantibus utamur, quippe quæ vim intestinis torpidis reddere possint ; auxilioque purgantibus, quæ alvi obstipationi occurrunt, tempestivè fiant.

Amara ex plantis, aut ferri præparationes, aliave ex metallis tonica (quarum plurima medici antiquiores laude immeritâ prosecuti sunt), in hoc fortassè consilio perficiendo maximè utilia sint. Electricitas a DE HAEN tam laudata, aliquando fortassè ex usu fuerit. Dr HAMILTON ait rarè sibi accidisse, ut tonica cujuslibet generis adhibeat ; proptereà quòd, cibo levi et nutriente, ægri ferè brevi convaluerunt. Balneis frigidis vel tepidis, usque dum æger convalescere cœpit, ne indulgendum quidem est. Utroque eorum postea prudenter adhibito, curatio celerior, aut reditus valetudinis secundæ expeditior esse potest.

Cùm morbus irritationibus corporis nullo pacto jungatur, aut cùm prior causa excitans fuerit

fuerit amota, ex habitu solummodò invalescere videtur, verisimile est eandem curationis methodum, quæ in similibus Epilepsiæ exemplis laudetur, multum commodi afferre posse. De mutatione, præcipuè quod ad corporis habitum attinet, nunc dicitur; regionis nimirùm, diætæ, rerumve aliarum in vitæ conditione: omnia quæ, ut experientia nos docet, curationi Epilepsiæ non nunquam fuerunt.

Remedia quædam, cum quibus aliquid superstitiosi fuerit conjunctum, aut excitationem timoris, vel terroris, vel horroris, motuumque aliorum animi, interdum utilia esse, analogiâ verisimile est. Quum autem animi affectus, ut suprâ dictum est, causæ excitantes sint, in usu igitur earum rerum, multum judicii et cautionis, medicinam facientem postulaturum esse patebit.

FINIS.

